

4248.

DE
CACOCHYMIAE
DIFFERENTIIS

INDVLTV

GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRAESIDE

D. CHRISTIANO GOTTLIEB
LV DWIG

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. FACVLT. MED.
DECANO ACADEM. DECEMVIRO COLLEGIORVM MAI.
PRINCIP. ET BEAT. MAR. VIRG. COLLEGA ACADEM. REG.
BORVSS. SCIENT. ET SOCIET. BOT. FLORENT.
SODALI SOCIETATIS TEVTONICAE
LIPSIENSIS SENIORE

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

ADOLPH GOTTHELF STOECKHARDT

LAVTERBAGO MISNICVS
MEDICINAE BACCALAVREVS

D. X IVLII A. O. R. C I C I C C C L X X I I

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

athol. gen.

53, 14.

Cacochymia?
Patholog. 167.

DE
CALCOGRAPHIA

DIE ERSTE

THEIL

GRATIS

BEI

D. CHRISTIANO GOTTFRIED

J. V. D. W. I. G.

LIBRARII

IN

ERFURT

ANNO

MDCCCXXV

KLAVS

PRO GRADU DOCTORIS

AD

ADOLPHUM GOTTFRIEDUM STORCHARDT

PHYSICUM

MEDICINAE

IN

ERFURT

ANNO



§. I.



Considerauimus hucusque in quibusdam disserta-
tionibus academicis morbos humorum, ita,
vt, differentiis explicatis, pathologiam illustra-
remus, et, primaria indicatione therapevtica
proposita, veram medendi methodum statueremus. Sic
differentiis plethorae venaesectionis et oligochymiae nutri-
tionis modum accommodauimus. Inuenimus quidem
in copia et inopia sanguinis et humorum signa satis lucu-
lenta, quae eorum contemplationem faciliorem redde-
rent. Cum autem nunc ad deprauatam indolem humo-
rum diiudicandam in cacochymiae differentiis progre-
diendum sit, haesitamus omnino, cum mixtio particula-
rum, ad quam in signis praecipue respiciendum est, dif-
ficillime definiatur. Re tamen accuratius examinata,
hac nobis oblata occasione, inceptum hunc laborem
continuare non dubitauimus. Quamquam quidem prae-
videmus, differentiam cacochymiae signorum fallacis
saepius obnoxiam fore, neque ad veram claritatem sem-
per adduci posse; confidimus tamen, post continuatas, de

Instituti ratio.




progressu et mutationibus morborum, observationes, norma quadam posita, monitisque in arte medendi exercitatorum additis, quos solos iudices beneuolos esse cupimus, hanc doctrinam, a nobis tantum adumbratam, ulterius illustrari, et ad medicinam faciendam accommodari posse. Ita vero in instituto nostro versabimur, vt, notione cacochymiae in vniuersum stabilita, eiusque initiis ex temperamentis aliisque aetatis et vitae generis dispositionibus deductis, differentias, a variis praestantissimis pathologis propositas, indicemus, ex his praemissis omnem ulteriorem diuisionem eruamus, singulasque species ex genesi et symptomatibus, ad aliquam signorum claritatem adducamus.


§. II.

Ratio cacochymiae vniuersae.

Qui bonis alimentis et potulentis nutriuntur, corpus, vt decet, exercent, somno post labores reficiuntur, moderatis animi affectionibus reguntur, ii certe sani sunt; bene enim digerunt, chylum, ex alimentis educum, sanguini paullatim immiscent, in circulatione continuata acres, aliasque noxias, particulas per secretiones vniuersales expellunt, in circulo humorum ulteriori pingues, siue oleosas, gelatinosas et lymphaticas particulas sensim praeparant, tandemque fluidi neruei, ceu spiritus rectoris elaborationem efficiunt, et ita in omnibus functionibus normam vitae sanae sequuntur. In his certe echymia, siue copia moderata optimorum humorum, in sanguine reliquisque humoribus adest, eaque omnium partium corporis vigor, qui ex his causis pendet, egregie sustinetur. Cum autem in causis sanitatis conseruandae, in aere praecipue et alimentis, non semper eadem puritas sit; cum functiones corporis, quibus commoda elaboratio et distributio humorum efficiuntur, non semper iusto



iusto ordine procedant; cum itaque catiffis fanitatis tot
 cauffae morborum fe immifceant, quae in viis digestio-
 nis, circulationis et elaborationis humorum particulas
 noxias inferunt, retinent, non raro augent et accumu-
 lant, evchymia interdum in cacochymiam transfire folet.
 In hac enim diiudicanda non folum ad auctam et immi-
 nutam plenitudinem humorum attendendum eft, ad
 quam, in differentiis plethorae et oligochymiae declaran-
 dis, praecipue respeximus, fimulque oftendimus, ex iis
 deprauationes humorum nafci; fed variae etiam particu-
 lae corpori accedunt, et in eo generantur, quae noxias
 mixtiones atque aggregationes humorum efficiunt, eam-
 que morbi materiem relinquunt, quae fanitatem hominis
 laedit. Cacochymia itaque, quae, vi vocis, depraua-
 tionem humorum indicat, eft collectio particularum ma-
 le mixtarum in maffa humorum vniuerfa. Haec enim
 dyscrasia, feu mala humorum mixtio, non folum in primis
 viis colligitur, in circulo fanguinis et humorum inde
 fecernendorum fufcipitur et euoluitur, fed etiam in ipfa
 elaboratione lymphae et fluidi neruei vefigia fua relin-
 quit. Quamquam enim aliqua particularum noxiarum
 copia, in primis viis collecta, fanguinem non penitus
 corrumpit, cum hic humor vniuerfalis, alias in vifcido
 fuo naturali inuoluat, alias per fecretoria organa vniuer-
 falia expellat, fubinde tamen hae ipfae particulae, inti-
 mis corporis humoribus immifcentur, euolutione mor-
 bosa extricantur, fubtiliores redduntur, et nutritionem
 et vigorem corporis ita laedunt, vt tandem cachexia, fiue
 deprauatus corporis habitus nafcatur. Ex particulis ni-
 mirum male mixtis vera nutritio, in minimis fibris abfol-
 uenda, et rebur folidorum inde pendens non tantum labe-
 factatur, fed vigor etiam vitalis, a neruorum efficacia



deriuandus, non satis consistit. Cacochymia igitur, de-
 prauationem humorum, in initiis suis positam, magis la-
 tentem habet, cum cachexia contra in ipsis effectibus
 functionum corporis et in habitu eiusdem foedo et disco-
 lori, liuido, pallido, cet. cernatur. Quamquam autem ca-
 cochymia in genesi sua functiones non adeo laedit, sed
 tantum vt caussa praedisponens morborum considerata
 est, humores tamen subinde minus recte elaborantur,
 ideoque particulae malae mixtae colliguntur, augmentur et
 magis euoluuntur. Nostrum itaque erit, ad initia et pro-
 gressum harum mutationum, diuersosque cacochymiae
 gradus simul attendere, et genesin eius ex caussis, et ef-
 fectus in symptomatibus considerando, signa mutatio-
 num, quantum fieri poterit, definire.

§. III.


*Dispositio ad
 cacochymiam.*

Non abs re vero erit, antequam ad vltiorem tracta-
 tionem progrediamur, cacochymiae genesin, in sanis fae-
 pe obuiam, ex generali temperamentorum aetatum et vi-
 tae generis consideratione repetere.

*in tempera-
 mentis.*

Temperamentorum enim diuersitas, sanitatem in infi-
 gni varietate hominum quodammodo definit, hinc non
 solum ex varia constitutione solidarum partium, sed ex
 differentia quoque humorum, ad vnam alteramque caco-
 chymiam procliuum, declarantur. Phlegmaticum, san-
 guineum, cholericum et melancholicum temperamentum
 differentiam eorum in vniuersum indicant, gradus enim
 innumeri sunt, vix distinguendi, coniunctio autem diuer-
 forum temperamentorum, quae multis placet, nisi gra-
 dus vnius alteriusque indicet, prorsus absona est, cum in
 diuersa corporum constitutione, in vniuersum considerata,
 magis confundat, quam instruat. Obseruatur autem in
 his, si humorum copiam et inopiam non respiciamus,

per-



peruersa particularum mixtio. Tenuitas aquosa in sanguineo temperamento adest, spissitudo viscida in phlegmatico, picea et atrabilaria in melancholico, biliosam tandem cacochymiam cholericam propriam habent. Immiscent autem se his omnibus variae acrimoniae, quae, quoniam temperamento respondent, in quibusdam facilius et copiosius generantur, et in progressu vltiorique evolutione ad, hos vel illos humorum morbos frequentius disponunt.

Non minus autem aetatum differentia in hac fluidorum mutatione attendenda est. Lentor infantilis viscidum pituitosum magis colligit, cum robur solidorum deficiat, quo nutrimentum, in viscidum inclinans, recte subigi et elaborari possit. Puerilis et iuuenilis aetas copiosum nutrimentum postulat, cum itaque gelatinosa pars in crescente corpore distribuatur, tenuitas serosa semper in iis conspicua est. Adulti, robore iam acquisito, humores magis densant, et oleosas particulas attenuando, et phlogisti subtilem partem euoluendo, ad biliosas mixtiones disponunt. Siccitas tandem senilis particulas terreas nimis inertes in tenacem atram bilem cogit, et elaborationes humorum in secretionibus et nutritione maxime impedit.

Variae autem vitae generis vicissitudines ad has dispositiones cacochymiarum vltius ducunt. Qui molli et sedentaria vita diffluunt, tenui, facileque digerendo victu nutriuntur, calidoque saepius potu abutuntur, tenuitatem serosam produnt: quod si vero viscido, per causas imbecilles digestionis non satis resoluendo, victu vtuntur, tunc pituitam magis in primis et secundis viis colligunt. Exercitatae autem vitae adstueri, et calorem solis saepius experti homines, humores tenues dissipant, oleo-

*in aetatibus.**in vitae genere.**re.**re.**re.**re.**re.**re.**re.**re.**re.**re.**re.**re.*



oleosas particulas magis euoluunt, ideoque genesi bilis non tantum in viis suis, sed etiam in vniuersa sanguinis massa occasionem praebent. Frigidiorum regionum incolae magis ad lentorem pituitosum inclinant, in primis cum victus eorum non satis elaboratus, sed viscidus et crudus plerumque sit: e contrario homines, sub zona torrida viuentes, ob fluidorum subtilissimorum dissipationem, ad biliosam magis et atrabilariam cacochymiam disponuntur. Hiemis quoque et aestatis vicissitudines in zona temperata vni vel alteri cacochymiae, humores vel cogendo vel resoluendo, occasionem praebent. Qui assidua studiorum tractatione animum vehementer exercent, ad atram bilem, vt hypochondriacum humorem generandum, magis disponuntur, quam alii, qui animi vires remissius intendunt, et corpus moderato simul labore exercent. Nihil tamen labor corpora sicca reddit, et humores etiam in tenacitatem atrabilariam cogit. Si vero homines, qui ob vitae generis differentias ad varias cacochymias disponuntur, diaetae vniuersae regulas recte obseruant, tunc causae vel mitigantur, vel prorsus aboliuntur, et vis sanitatis hos, tot cacochymiae malignitatibus obnoxios, liberos tamen reddit, et bonam humorum crasin tuetur.

§. IV.

*Patologorum
cacochymias
distinguendi
ratio.*

Quoniam tamen in evchymia tanta mixtionis humorum diuersitas est, quanta hominum ipsorum, similis ratio corruptionis humorum, eaque adhuc maior in aegris erit, in quibus morborum summa varietas conspicitur. Etsi enim videri potest, morbum singulum habere suam materiam peculiarem, tamen facile persuademur, hanc quoque ratione hominum, graduum et mutationum morbi variam esse. Veteres, qui ad subtiles has mixtiones non respiciebant, cacochymiam cum plethora ita com-
para-



parabant, vt hanc abundantiam omnium humorum aequabilem, illam redundantiam vitiosi humoris in toto corpore appellarent ^{a)}). SENNERTVS itaque ^{b)}) cacochymiam humorum aliorum, praeter sanguinem, abundantiam dicit, et humores hos in pituita, bile, melancholia et ferro studiose distinguit, quem ad modum veteres iam has differentias variis nominibus exprefferant. BOERHAAVIVS ^{c)}) humoris qualitatem illam, quae functiones laedit, cacochymiam appellat, et particulas, massam fluidi componentes, figillatim disquirat, sed si in vniuersum considerat et nimiam fluiditatem vel tenacitatem, nec non excedentem humorum motum per vasa perpendit, et in causis ^{d)}) differentias humorum morbosorum studiosius perlustrat. GAVBIVS ^{e)}) et morbos cohaerentiae in humoribus et eorum acritates morbosas studiose disquirat. Distinctiones cacochymiarum, ab aliis pathologis traditas, hic subiungere nimis amplum foret, perspicimus enim iam ex commemoratis, quomodo sensim ad differentiam quandam, in obseruationibus morborum attendendam, accesserint, vt ex signis anamnesticis genesin repeterent, et ad diagnostica accuratius definienda procederent.

§. V.

Cum autem in studiosa mixtionis humorum contemplatione, obscuris cacochymiarum signis non exigua lux affundatur, tentabimus et nos, an hanc doctrinam quodammodo illustrare possimus. Repetamus vero eam ab aqua, terra, sale et oleo, tanquam particulis mixtis, quae

*Consideratio
differentiae
cacochymia-
rum in vniuersum.*

a) Conf. 10. GORRAEI Definit. Med. Edit. Wechel. 1578. p. 205.

b) In Epitome Inst. Med. Lib. II. Part. II. cap. 3. seqq.


c) In Instit. Med. §. 719.

d) l. c. §. 782. seqq.

e) In Instit. Pathol. Med. p. 126. seqq.



in fluidorum disquisitione manifestis quibusdam signis se
 produnt. Aqua in fluidis praecipuam partem constituit.
 Etsi vero aqua in potulentis copiosius hausta, sangui-
 ni non semper intime admiscetur, sed per colatoria orga-
 na, renes potissimum, cito transit; tamen et globulis ipsis
 admixta, nimiam tenuitatem humorum efficit, ex qua re
 non solum elaborationes reliquorum humorum et secre-
 tiones nobiliores male procedunt, sed terrestres quoque
 particulae aquosis copiosius se iungunt, licet hoc ob sali-
 narum particularum inertiam minus recte fiat. Aut enim
 crudiores terreae particulae cum aquosis se coniungunt, et
 mucum tenacem formant, qui, in variis glandulis follicu-
 losis secretus, lubricandae cautorum variorum superficiei in-
 feruit; aut, si copia sua molestus est, omnis promoueri ne-
 quit, sed in alias mixtiones humorum nobiliorum se di-
 mittit, et in viscidum pituitosum mutatur. Ob hanc mi-
 nus conuenientem particularum terrestrium cum aquosis
 mixtionem, salinae, simul cum iis subigendae, eandem
 non ingrediuntur. Hae enim particulae, quae cum ali-
 mentis ingeruntur, in vniuersum subigi, et in crudiore
 sua parte, per colatoria aquosa simul abripi deberent, in-
 terdum prorsus non, vel quodammodo tantum mutatae
 subsistunt, et tunc in cacochymis salinis se produnt.
 Acida quidem vegetabilia, nisi valida digestionem subigan-
 tur, salis acidi vestigia in reliquis etiam humoribus relin-
 quunt. Simili etiam ratione salis communis, vt condi-
 menti, abusus vestigia sua in humoribus reliquis ostendit.
 Si vero salia haec blandis motibus non promouentur, sed
 circulatione concitatore nimis accumulatur, alcali vola-
 tile seu ammoniacale, quod animalibus proprium est, ni-
 mis extricatur. In his iam phlogisti vis cernitur, sed
 maior illa est, si cum salinis et, terrestribus partibus com-
 ponitur,




ponitur, et in primis viis rancidum generat, cuius particulae, ad secundas vias abeuntes, aut atram bilem aut putridum morbosum efficiunt. Etsi vero nimium abundantes oleosae particulae ad bilis secretionem transferuntur, tamen, vel inde in sanguinem regressae, vel in eo copiosius natae, biliosam dyscrasiam in corpore diffundunt. Minime vero in his subsistit cacochymiarum euolutio, sed, causis variis accedentibus, subtiliores aliae specificae, siue singulares, generantur, quae aliquo contagio plerumque se ulterius propagant. Hae vel acutae sunt, et moderatis motibus febrilibus breui dissipantur, nisi, accedentibus aliis particulis morbofis, peiores fiant, vt scarlatinae, purpureae, miliares, morbillosae et variolosae, exanthematum varietate se distinguentes; vel lentae, quae febrili motu vix agitantur, nec eo superantur, vt scabiosae, scorbuticae et venereae.

§. VI.

Quamquam vero cacochymiae in primis potissimum viis colliguntur, in secundis autem vario modo euoluuntur et mutantur, praeterea etiam earum alia indoles in primis viis est, alia in secundis, de his tamen separatim agere haud potuimus, cum eodem modo, quo chyli mutatio in evchymia per tot elaborationes sanguinis ac oleosorum, gelatinosorum et lymphaticorum humorum procedit, sic etiam in omnibus his humorum elaborationibus particulae male mixtae mutantur, et in tot diuersas cacochymias abeunt. Porro etiam examinandum esset: an aliae cacochymiae vt simplices, aliae vt compositae considerari possent, ex quibus tandem subtilissimae singulares, specificae vulgo dictae, extricarentur, sed hoc modo non potui ordinem geneleos et doctrinae coniungere. Nam vere simplices non sunt; in omnibus enim principia mixti

*Cacochymias
considerandi
ratio.*



omnium humorum suo modo se exserunt, etsi vel proportione, vel aliis particularum conditionibus differunt. Minime tamen diffiteor, me in pertractandis singulis cacochymiis hunc ordinem quodammodo sequutum esse. Eam enim tractationis rationem elegi, vt primo aquosam vel serosam cacochymiam in tenuitate humorum, et pituitosam in spissitudine declaranda praemitterem, eisque acidam, muriaticam et ammoniacalem subiungerem, quibus explicatis, rancidam, atrabilariam et putridam melius diiudicare potero. In his autem substiti, cum facile cognoscerem, in specificis, acutis et lentis nihil omnino certi definiri posse, si vel originem, vel contagiosam indolem, vel singulares omnium mutationes considerassem. Equidem id semper curae habui, vt ideas propositas in examine variorum morborum, et in ratione iis medendi applicarem, singulare tamen morborum cacochymicorum examen instituire non potui, cum tanta sit earum diuersitas, vt ad normam aliquam dirigi et diiudicari nequeant. Satius itaque duxi, cacochymias, in vniuersum consideratas, ita proponere, vt genesis in caussis, mutationes varias in symptomatibus perpenderem, et signa quaedam eruerem, quibus deprauata haec vel illa humorum indoles declarari posset. Sit itaque specimen doctrinae de cacochymiis, cuius accuratior elaboratio per continuatam et attentam signorum obseruationem in morbis magis magisque illustrari poterit. Prima autem haec delineatio doctrinae nostrae alumni ex ea parte utilis esse potest, vt in indicationibus morborum curatoriiis definiendis certiores fiant, et ad examen contraindicantium simul adducantur.

§. VII.

Homines, qui, corde et pulmonibus validioribus instructi, sanguinem, vt humorem vniuersalem, aequali ratione


*Cacochymia
aquosa.*



tione circumducunt, et exercitata vita accedente, densant, sani omnino sunt, et reliquos quoque humores corporis vniuersales in similem densitatem cogunt, ex qua tandem ea humorum elaboratio exsurgit, quae minima solida egregie nutrit, et vniuersum corporis vigorem efficit et conseruat. Languidiorum autem viscerum homines, qui neque cordis et pulmonum valida vi incitantur, neque exercitatione muscolosa circulationem adiuuant, tenuem magis, et ad reliquas elaborationes minus idoneum sanguinem habent. Aqua nimirum, cum alimentis et populentis hausta, digestionem expeditam reddens, non ita, vt in sanis fieri solet, per vrinam et sudorem dissipatur, sed in globulos serosos coacta, cum reliquis, densis purpureis fluit. Quemadmodum enim in animalibus, quae nullum prorsus sanguinem habent, vel in iis, quae paucos globulos rubicundos offerunt, veluti in insectis et ranis, globuli serosi, qui ex mixtis in aggregatas coeunt, elaborationibus humorum suo modo sufficiunt: sic etiam sanguis humanus non ex solis purpureis globulis, sed ex multis serosis, inter illos currentibus, constat, et, si hi copiosiores sunt, veram tenuitatem efficit. Haec ex laxitate solidorum et exercitationis defectu pendet, et in obesis saepe obseruatur, cum subinde ab evchymia ad leucophlegmaticum statum et oedemata transferuntur, ex qua re initia hydropis, vel vniuersalis, vel particularis ori solent. Cellulae nimirum, pinguedinem recipientes, non bonam illam, quae ex denso et sano sanguine eo defertur, sed maxime aquosam suscipiunt, ideoque vltra modum distenduntur, resorptionem venosam non amplius admittunt, sed communicatione humoris stagnantis facta, pondere suo in tumores eiusmodi aquosos adsurgunt, quorum discussio, nisi vigor circulationis recte



restituatur, nullo modo cogitari potest. Initia huius tenuitatis ex languore, tumido corporis habitu, et colore minus viuido faciei cognoscuntur. Post morbos graues, si conualescunt aegri, eiusmodi tumores se monstrant, et medicos monent, vt diaeta idonea, exercitatione corporis et roborantibus medicamentis, elaborationem et circulationem sanguinis veram, et inde crasin aequalem omnium humorum restituant, ne morbis hydropicis, difficulter vel prorsus non sanandis, occasionem praebeant. De quo quidem summo gradu tenuitatis omnium humorum, nutritionem bonam impediēte, hic fusius differere nostrum non est. In imbecillis vero et macilentis non solum defectus humorum est, sed hi, in crasi sua, a sanitatis indole recedunt. In his globuli serosi raro cum purpureis concurrere solent, ipsi enim tenuitate laborare videntur, cum aquosae particulae et horum globulorum mixtionem iusto copiosius ingrediuntur. Ii enim, qui vita sedentaria detinentur, et, ob aquosi inprimis calidi potus abusum, digestionem languidam habent, interea tamen cum imbecillitate aliquam evchymiam in florida facie ostendunt, non solum globulos serosos cum purpureis fluentes monstrant, sed, cum eorum humores in vniuersum non abundant, globuli purpurei ipsi crasin nimis serosam, a densitate vera remotam, habent. Haec autem tenuitas humorum in infantibus praecipue conspicua est, in quibus valida sanguinis circulatio, et globulorum condensatio locum non habent. Sunt quoque multi, qui propter vitae genus mollitiem hanc infantilem ad adultam aetatem adferant. Ex sanguine enim tenui non copiosam pinguedinem in cellulas dimittunt, inde macies oritur, gelatinosi etiam humores, ex quibus praecipue vigor musculorum constare debet, male densantur,
 caro



caro itaque flaccida et mollis est, et crasis lymphaticorum humorum tandem densitatem iis propriam amittit, et nutritionem in minimis fibris ita turbat atque impedit, ut languor inde et imbecillitas sequantur. Etsi autem multi eiusmodi tenuitatem diu ferunt, sibi que et multis aliis admodum sani videntur, in tanta tamen imbecillitate, reliquas cacochymias facilius generari, et morbos chronicos et acutos vel inferre vel pertinaciores reddere, luculenter apparet.

§. VIII.

Cacochymia viscida et pituitosa in quibusdam conuenit, in aliis vero multum differt ab aquosa illa, quam nunc descripsimus. Etsi enim terrestres particulae non cum globulis fluunt, sed semper, aliis particulis adhaerentes, subtilissimam earum basin constituunt, et cum iis aggregantur; illae tamen, cum vel nimis copiosae sunt, vel non satis attenuatae, hoc in humores vitium inducunt. Quod si enim sanguinem, ut fluidum densum, considero, in eo semper aliqua requiritur visciditas, quo sanguinis elaboratio, per validas saepe circulationes efficienda, recte procedat, ut nimirum sanguis mouendus satis resistat; et terreae particulae, his motibus attenuatae, in veram mixtionem transeant. Hoc vero viscidum, cum alimentis crebrius ingestum, massae sanguinis semper molestum esset, nisi in glandulis folliculosis, varie structis, mucus vel spissior vel tenuior in usus partium lubricandarum secerneretur et tandem eliminaretur. Mucosam tamen hanc secretionem, eiusque in varias cauitates excretionem, in anatomicis et physiologicis doctrinis satis declaratam hic mittimus et ad indicandam viscidi morborum genesin accedimus. Alimenta, ex vegetabilibus et animalibus sumpta eaque multa, copiosum viscidum habent, dummodo autem organorum digestio-


nis

*Cacochymia
pituitosa.*



nis integritas, et liquorum digerentium vis cum vita exercitata sustinentur, nimia viscerum copia in intestinis subigitur et eliminatur. His vero causis elaborationis primae alimentaris deficientibus vel languidis redditis, moles viscerum in omni tubo alimentari male subsistit. Quod quidem in primis viis saepius accidit, cum et mucus, in glandulis folliculosis secretus, ob nimiam tenacitatem in excretionem cohibeatur. Quamquam vero pituita primarum viarum euacuantibus vomitoriis et purgantibus saepe expellitur, laxitas tamen relicta collectioni nouae occasionem praebet. Semper quidem cum chylo aliqua viscerum pars ad secundas vias ducitur, sed liberior sanguinis cursus in circulatione remanet, quod superflua pars per colatoria mucosi secedit. Quod si vero copia et tenacitate sanguinis liberum motum turbat, febres intermittentes saepius excitantur, quae validis paroxysmis inertem hanc molem commouent, discutunt, et per varia colatoria organa eiciunt. Cum tamen nimia viscerum copia, non satis euacuanda, solidas partes in vniuersum relaxat, moles eius in secretionibus mucosis ultra modum augetur, ita, ut in vias aereas, imprimis nares, fauces et pulmones conuertatur. Etsi vero per has vias magna saepe pituitae copia in commodum sanitatis excutitur, nihilo minus tamen magna visceritas sanguinis reliquas humorum elaborationes, lymphaticam quoque inficit, easque non solum difficiles reddit, sed etiam subsistendo morbos excitat. Tumidus igitur fit corporis totius habitus, et cellulae viscerum pinguedine replentur. Quamdiu igitur solidorum robur subsistit, et medendo sustinetur, durior et renitens tumor obseruatur, variis medendi methodis, per resoluentia et euacuantia idonea, cacochymia pituitosa corrigitur, et, additis roborantibus, noua genesis impeditur. Si vero nimia partium

tuum



tiūm solidarum laxitas, feri copiam simul auget, attenuatam viscidum ad varium hydropem ducit. Quoniam vero elaborationes humorum, inprimis in glandulis, hoc viscido attenuato simul turbantur, obstructiones lentae oriuntur, quae, cum ab initio clandestinae sint, sensim auctae, morbis variis occasionem praebent. Etsi enim pituitosus humor iners videtur, et in cellulis lateralibus stagnat, tamen in eo etiam acrimoniae colliguntur, quae ab initio viscido irritatae, vix agunt, languore autem solidarum partium nimium aucto, saepe pertinaces febres quartanas, vel, quod peius est, has vel alias irregulares excitant, quarum lento progressu aegri sensim contabescunt.

§. IX.

Crafi sanguinis et humorum ita a iusta densitate in tenuitatem aquosam vel tenacitatem pituitosam transeunte, *Cacochymia acida.* cacochymiae variae ex salinis particulis vel abundantibus, vel non satis subactis oriuntur. Consideremus primo acidam cacochymiam. In vegetabili victu praecipue acidum se offert. Hoc quidem in tenui mucilagine haerens, in primis viis ita subigitur, vt bonus chylus inde praeparatur; attamen in quibusdam vegetabilibus, quibus vescimur, acidum nondum ita subactum est, vt in digestionem satis mutaretur, ex qua re etiam robusti interdum laeduntur. Imbecilles saepe, ob laxitatem ventriculi ac intestinorum, et inertiam digerentium humorum, in primis bilis, acidum etiam tenue, quod optimis plantis nutrientibus inest, digestionem languida penitus mutare nequeunt, quod igitur in his minus exercitatis corporibus, praecipue in infantibus, non solum lente colligitur, sed augetur. Prodit se vero non solum ructibus acidis, sed etiam tensionibus et torminibus ventris, propter coniunctam aeris elasticitatem, foeces aluinae in fuscum colorem, qui interdum in viridem

C

dem



dem abit, vergunt, et tenacitate sua molestae fiunt. Quod si vero in his initiis acidum morbosum medicamentis diluentibus, absorbentibus, et antacidis corrigatur, porro laxantibus idoneis subducatur, et tandem canalibus alimenterum recte roboretur, morbi inde oboriundi facile reprimuntur, facile autem recrudescunt, quam ob rem diaeta ita ordinanda est, ut, animali victu simul adhibito, vitia vegetabilis quodammodo temperentur. Quemadmodum vero in animalibus brutis, quae herbis nutriuntur, acidum in primis viis non satis subigitur, sed per sanguinis vias progrediendo in pinguibus et gelatinosis succis vestigia sua ostendit: sic in imbecillioribus etiam eo transit, et tenuitatem humorum auget. Etsi autem animali victu non prorsus destituti imbecilles, veram aciditatem in secundis viis non copiose colligunt, tamen si illa in via sanguinis per circulationes validas, indeque deductas secretiones non satis subigitur, tenuitas serosa eam semper fouet et includit. Hinc omni etiam diaeta optime ordinata, nisi exercitatio corporis accedat, vera sanguinis crasis non restituitur, sed pallor faciei et imbecillitas omnium functionum characterem acidi latentis, in primis et secundis viis immutandi, praebet. Subtilius tamen acidum in iis animadvertitur, qui potu fermentato abutuntur. Fermentatio quidem recte instituta, acidum vegetabile ita subigit, ut terra cruda excussa, et oleosa parte, salino aquosae intimius iuncta, acidum vix se exferat, sed ipse gustus in liquoribus iis fermentatis, ubi oleosae et mucilaginosae partes non abundant, saporem vere acidum, et vitia primarum viarum inde oriunda, produnt. Quamuis vero sanguinis mixtio magis serosa acido non solum resoluitur, et, si circulatio viuida accedit, illud simul destruitur, effectus eius in pinguibus gelatinosis et lymphaticis humoribus nulli ferme




ferme sunt. In vita tamen otiosa atque torpida, cum defectu gelatinosae nutritionis, acidum tenue fermentatum, in victu ingestum, omnes humores inficit, ac potissimum lymphaticos ad lentorem cogit, vnde obstructions glandularum et arthritici dolores oriuntur.

§. X.

Etiam sal culinare, quod nimis copiose cibis variis condiendis additur, vestigia sua in acrimonia humorum relinquit. Quem enim latet, plerosque orbis terrarum incolas, a simplici victu, qui optimus est, recedere, et nonnullos ex iis animale nutrimentum vegetabili praeferre, in vniuersum vero viscido, in cibis abundante, laedi, quorum digestio sale culinari, cibis adiecto, iuuatur et promouetur. Etsi enim omnibus alimentis ex natura sua sal quoddam inest, quod in digestionem salubrem reliquarum particularum solutionem efficit, in nimia tamen tenacitate viscida non sufficit, sed condimento salino opus est. Hinc carnes etiam tenaciores, nitro vel sale ammoniaco addito, aliquantum macerantur meliusque digeruntur. Omnia vero haec salia in digestionem, et reliquis sanguinis et humorum elaborationibus, ita mutantur, vt dispareant, nec vlla vestigia relinquant. Cruda enim pars, iam excrementis aluinis admixta, recedit, eaque soluta minus tenacia reddit; alia vrinae secretioni iungitur, quod latex serosus salinas particulas facile soluit, et, vel per se, vel cum terreis particulis arripit; subtilisata demum pars cum perspiratione et sudore secedit, et, praeter pruritus cutaneum, saepe pustulas excitat. Hae mutationes non nisi in sanis et robustis hominibus recte succedunt, in quibus vigor functionum per corporis sufficientem exercitationem sustinetur; in lentore vero humorum subsistens, acrimonia salina cernitur. Et salialibus praecipue humoribus sal admiscetur, et moderata quidem

*Cacoehymia
muriatica.*



copia eorum bonitatem efficit, sub qua adhuc insipida persistunt; in maiori autem copia, et his ingratum et salum saporem efficit. Sed salini muriatici indoles, quae resolvendo viscidum iuvat, non aequabiliter subacta, nimiam resolutionem humorum efficit, et reliquas eorum elaborationes penetrando, gelatinosum blandum, quod sensim in corpore subigi debet, disturbat, atque commouet. Hinc resolutio sanguinis et humorum scorbutica oritur, quae variis signis se prodit: in ore enim gingivas arrodit, et dentes vacillantes reddit, pallorem habitus cutanei inducit, quod densitati sanguinis et cruoris praecipue nimium nocet, ulcera tandem cutanea succedunt, quae ad pinguedinem ipsam penetrant, non obstante desquamatione sicca, proserpunt, et vniuersos corporis humores scorbutica muriatica labe inficiunt.

§. XI.

Salia vero diuersae indolis, nunc commemorata, cum vario victu humoribus admista, tum quoque, cum per circulationem viuidiorem reliquasque functiones, recte succedentes, subiguntur, vestigia sua in volatili aliqua indole euoluta relinquunt. Et salia acida, et muriaticum ad secundas vias transgressa disparent, et vestigia eorum, in reliquis humoribus ex effectibus recte ostensa, alius iam naturae sunt. Ex animalium partibus, igne chemico disquisitis, in vniuersum alcali volatile purum educi, vix affirmari potest, quamquam enim in volatilem et alcalinam indolem inclinat, illam tamen non accurate exprimit, sed si accuratius non solum in hominibus, vario victu et vitae genere vrentibus, eorumque solidis et fluidis partibus, sed etiam in variis animalibus brutis ad insecta vsque disquiritur, tanta varietas mixtionis salino alcalinae volatilissimae apparet, quam, ne exercitatissimus quidem chemicus, verbis ex-
pri-

*Cacochymia
ammoniaca-
lis.*




primere possit. Quaecunque igitur in mixtione humorum sani hominis aequali et blanda, magis tamen in circulatione sanguinis et humorum perturbata et aucta, oritur mutatio, illa ad ammoniacale sal propius accedit. Etsi enim acidum mutatum et oleosis particulis iunctum aliis indolis videtur, tamen sal commune cum basi sua, ex alcali minerali petita, acidum hoc non nihil mutat, et simul olei summe attenuati partem addit, vnde volatilitas exurgit. Quam mixtionem salino volatilem, si in vniuersum considero, non nisi ammoniacalem appellare possum. In morbofo humorum statu, si aliae cacochymiae adsunt, mutationes singulares oriuntur. Sic serosa cacochymia salia continet non adeo mutata. Quemadmodum enim acidum in ea magis immutatum persistit, et in intimis saepe humorum elaborationibus nocet, sic et aliae crude particulae adhuc remanent, vnde scorbutica dispositio non solum muriatica, §. X. sed ob varietatem et augmentum particularum acrium variae aliae scorbuti species definiuntur. Sed ipsa haec salium euolutio morbofa in corpore humano nos ad subtiliores cacochymias ducit, necesse tamen est, vt antea oleosam corruptionem consideremus, cum haec per salinam varie definiatur.

§. XII.

Ad magis compositas acrimonias haec oleosae partis corruptio ducit, ex quibus rancida, in primis viis potissimum nata et collecta, nostram postulat attentionem. Omnia oleosa vegetabilia et animalia, pinguedo, butyrum, olea, ex seminibus variis expressa, quae in se blanda lubricantia et dulcia sunt, vario caloris gradu admisso, in rancidum transeunt. Etsi, vero hoc corruptionis genus est, ob stimulum tamen, quem in saporibus ciborum maxime quaerimus, alimentorum praeparationem ita efficimus, vt, in

Cacochymia rancida.



primis calido aromatico accedente, rancidum siue oleosum
 exustum, in iis gustu perceptum, placeat, quod saepe ita
 augetur, vt primae viae non solum eo abundant, sed atte-
 nuata quoque pars ad secundas, transeat. Haec mutatio ex
 vitiosa diaeta pendet: sed omnis etiam animalis victus bo-
 nae notae, si pinguis et iurulentus est, a digerentibus hu-
 moribus non facile subigitur, et, si subsistit, augetur, vt sa-
 pore amaro et ructibus nidorosis se prodat. Quamquam
 autem vegetabilia simul sumta, ob acidam suam indolem
 vim rancidi aliquantum infringunt, et acida etiam medi-
 camenta simul opponuntur, corruptione tamen in ventri-
 culo et duodeno subsistente, optimus et gelatinosus victus
 in rancidam indolem conuertitur. Ardor ventriculi acri-
 moniis incitatus, si propter acidum molestus fiat, antacidis
 et euacuantibus blandis medicamentis facilius extinguitur,
 quam si a rancido existat. Hoc enim plicis ventriculi cum
 aliqua tenacitate ita adhaeret, vt acidum citri et alia hoc
 exortum malum non statim tollant, nisi subinde salubrio-
 ris diaetae obseruatione omne rancidum non solum mite-
 scat, sed vere etiam mutetur. Etsi vero crudior illa coniun-
 ctio olei, salis et terrae, quae rancidum potissimum con-
 stituit, non facile ad secundas vias transit, sed idonea me-
 dendi ratione, et diaeta accuratiore in primis viis muta-
 tur, intima tamen et subtilior particularum mixtio, pro-
 pter attenuationem a crudiori diuersa, chylum sensim in-
 ficit, massam sanguinis corrumpit, et acrimoniis aliis, in
 secundis viis generandis, occasionem praebet. Quod lucu-
 lentius adhuc fit, cum nunc ad atrabiliarium, biliosam et
 putridam cacochymiam considerandam nos conuertimus,
 et rancidum, in primis viis collectum et auctum, ad causas
 geneseos subtiliorum illarum acrimoniarum referimus,
 quoniam in his omnibus eodem modo, vt in rancido pri-
 marum



marum viarum, fitis ingens et siccitas animaduertitur, et diluens subtile aquosum, quod mixtionem deprauatam corrigere deberet, aut prorsus non, aut difficulter admittitur.

§. XIII.

Atrabiliariam cacochymiam in institutionibus pathologicis ad spissitudinis ideam retulimus, eamque pituitosae opposuimus, ^{f)} quod in crasi sanguinis tenacitas maior cum immobilitate deprehenditur, quae in reliquorum humorum elaborationibus quoque obseruatur. Verum, cum in mixtione ad nimiam olei cum terra cohaerentiam, quae huius tenacitatis causa est, respiciendum sit, salinae vero particulae eandem non satis penetrent, nec serosis facilem aditum concedant, ab hac humorum dispositione eius explicationem deriuare atque instituire conuenit. Chronica vero est haec cacochymia, quae ex leuioribus initiis subinde crescit, et in iis praecipue nascitur, qui, vitae sedentariae dediti, digestionem languidam habent, ex abusu calidi potus, vero frigidum illum attenuantem negligunt, et, praeterea tristi animi affectu, vel studiorum contentione circulum humorum lentiolem atque irregularem reddunt. Regiones quidem calidiores huic cacochymiae vberiolem praebent occasionem, cum calor atmosphaerae aquosas particulas valde dissipet, ideoque oleoso terrestres nimium cogat, vt non solum venosus sanguis in vniuersum et praecipue in vena portae grumosus et piceus quasi reddatur, sed in reliquis quoque humoribus, adeo in lymphaticis siccitas quaedam nutritioni, in minimis fibris efficiendae, noxia obseruetur. Facies itaque luridum colorem refert, et rugosa redditur, marcor totius corporis obseruatur, et, cum haec mixtio ad bilis naturam quodammodo accedat, atra bilis dicitur. Etsi vero in nostro climate tot causae ad

*Cacochymia
atrabiliaria.*

^{f)} conf. Institut. pathol, nostr, Edit. altera 1767. 8. §§. 40. 163. 315.



cacochymiam generandam non sint, quot in climatibus calidioribus, non deficiunt tamen aliae ad siccitatem vniuersalem humorum, quae atra bilis veterum est, disponentes. Nam, vt a digestionem incipiam, alimenta nimis cruda male elaborantur, imprimis si ex potu calido relaxatio viarum, vel ex defectu frigidi digestio ciborum languidior fiat. Augetur etiam malum, si, quod crebrius fieri solet, defectum potus in aegris, vt causam cognitam, corrigere tentant medentes; nimia tamen ingurgitatione aquosi potus, organa digestionis valdopere laedunt. Cum etiam post chylificationem circulatio sanguinis, ad depurationem quandam per vrinam et perspirationem disponenda sit, ea separatio et excretio particularum non succedit, quae reliquis elaborationibus inferuire possit, vrina enim vel parca, profunde saturata, vel post potum nimium aquae pallida, aquosa deprehenditur, siccitasque cutanea perspirationis et humoris, cutim inungentis, defectum prodit. Et humores, in primis viis affluentes, parciores saepe sunt, vel minus resoluentes et attenuantes; hinc siccitas aluina oritur, et acria ex humoribus non satis promouentur, diarrhoeae enim interdum intercurrentes non leuant, sed indicia potius sunt acrimoniae tenaciter inhaerentis. Hae in visceribus abdominalibus praecipuae causae, initia morbi parant, et saepe per spasmos, ex imo ventre per dorsum ad caput tendentes, quae ex consensu neruorum facile explicantur, cephalalgias et functiones sensuum internorum turbatas vel labefactatas sistunt, vnde iam languores et anxietates hypochondriacae subnascuntur. Augetur vero mixtio deprauata, et ad reliquos humores deducitur, hinc si nimia studiorum contentio et animi affectus tristiores vigorem vitae minuunt et frangunt, morbi ex phantasia laesa oriuntur. Quemadmodum enim ex seroso pituitosa humo-



humorum dispositione imbecillitas et torpor in omnibus actionibus, cum laxitate solidorum apparent, et ita quoque functiones animi non iusto ordine procedunt, sic in atrabilaria mixtione, quae ut plurimum siccitatem corporis et rigiditatem solidorum coniunctam habet, spasmi vagi, et inde ortae anxietates percipiuntur. Incrementum morbi atrabilariam hanc dispositionem ad lymphaticum systema transfert. Cum vero ex atrae bilis notione non omnes intimae mixtionis mutationes et explicationes deriuandae sint, de alio nomine cogitandum esset; quoniam autem oleosum exustum, vel terra fixa attenuata, aliaeque a mixtione petitae notiones eadem obscuritate laborare videntur, nouum nomen inuenire haud potui. Haec vero mixtio ad fluidum nerueum ipsum transit, eiusque elaborationem singulari ratione turbat, quod non solum transeuntes anxietates et imbecillitates, sed magis grauiore morbi melancholici et maniacy confirmant. Et profecto hac in re eiusmodi mutatio cernitur, quae animo vix comprehendi possit, si enim grauissimos et pertinacissimos morbos cum phantasia laesa consideras, qui nullam medelam admittunt; praeter atrabilariam mixtionem, quae humores lymphaticos et neruosos inficit, ad mutationes fabricae encephali simul respiciendum est, quae post mortem, anatomes ope, demum deteguntur. Sed dubium omnino est, num hae sint causae, an effectus animi morborum. In morbis etiam, qui curationem admittunt, vel modo, interiecto aliquo tempore, phantasia laedunt, in quibus solum ad deprauatam mixtionem respici debet, mirandum omnino est, quomodo hae laesiones, ut in febribus fit, per paroxysmos saepe intendantur. Obseruamus enim aegros, vel idonea medicina exhibita, vel etiam sine ea, iterum plenarie restitui, neque vllis

D

mor-



morbi tristis incommodis affici, donec iterum haec de-
prauata humorum mixtio adeo aucta sit, vt noui paroxy-
smi orirentur. Sed maneamus in re, quae, quamquam
propter singularem, cui obnoxia est, obscuritatem, a me
non satis declarari poterit, vltiori tamen indagatione
omnino digna videtur.

§. XIV.

*Cacochymia
biliosa.*

Atrabilaria cacochymia magis fixa est, biliosa autem,
nunc consideranda, ex indole sua fortius mouetur. Du-
plicem autem originem haec habere videtur, quod vel
ex bilis consuetis viis in massam sanguinis regreditur, vel
in sanguine copiosius generatur. Ab omni enim animi
affectu vehementiori, imprimis ira, bilis in primis viis
vehementer mouetur, et copiosius affluit, quam si eius
secretio ad digestionem efficiendam acceleratur. Nisi ita-
que vel vomitu, vel deiectionibus aluinis biliosis protinus
excernatur, non solum vehementes primarum viarum ten-
siones et spasmos efficit, sed etiam subito in humores reli-
quos effunditur. Hoc vel maxime in iis obseruatur, qui bi-
liosi sunt, et oleosas praecipue partes in hac mixtione ad
acrimoniam laedentem attentant. Etsi vero bilis ex san-
guine venae portae, peculiari modo mixto, in hepatis vi-
scere secernitur, suis viis coercetur, et in digestionem cum
fructu affluit; non tamen negandum est, in vniuersa hu-
morum massa biliosam cacochymiam sponte oriri posse,
si vehementi motu, imprimis intestino, salia et olea nimis at-
tenuantur, et gelatinosam humorum indolem turbant. Fe-
bres intermittentes, imprimis quartanae, interdum biliosae
sunt, praecipue si cum viscerum abdominalium obstructio-
ne coniunctae sunt, qua bilem, in primis viis motam, co-
hiberi, et ad secundas transire, existimamus. In acutis ta-
men febribus, et in vehementiori humorum circu-
lo,



lo, saepe biliosae particulae ita extricantur, vt non solum crasin sanguinis turbent, sed etiam ad reliquos humores trans-
eant, et subito augeantur. In nostris terris rariores sunt, pro-
pter sanguinem magis viscidum, quam attenuatum; in ca-
lidioribus autem orbis prouinciis, plures caussae, quae ge-
nesin et euolutionem bilis efficiant, deprehenduntur. Ve-
hementer tunc in destructionem solidorum ruit, et mor-
bos breui letales reddit, interdum vero deriuatio eius ad
primas vias fit, in quibus acidis antiphlogisticis coerce-
tur, et similibus purgantibus in suas vias dirigitur. Etsi
enim bilis in sua mixtione alcalina non est, tamen in
hanc acrimoniam maxime vergit, ideoque per acida opti-
me corrigitur. Quemadmodum autem bilis, in acutis
vehementer mota, nisi protinus in suas vias redeat, breui
partes solidas destruit; sic in chronicis, particularum len-
ta collectio, icterum excitat, qui non semper transitorius
est, sed tam pertinaciter humoribus inhaeret, vt in ni-
grum vsque vergat, aegrosque ad tabem disponat: ori-
tur hic potissimum ex vitio hepatis, tanquam organi se-
cretorii bilis. In initiis suis, vbi defectus bilis in viis suis
per foeces aluinas argillaceas ostenditur, celeris et efficax
medendi ratio, per resoluentia et laxantia medicamenta,
vias iterum aperit; si vero hepatis labes et obstructio
praecipue crescunt, qua ad secretionem prorsus inutilis red-
ditur, tunc morbus ingrauescit, particulae nimis tenaciter
mixtae, per vias secretorias parum educuntur, et ex de-
fectu nutritionis, quod lympham nutriens corrumpitur,
lenta mors subsequitur.

§. XV.

Et biliosa iam cacoehymia, in sanguine et humoribus nata et impetuosius mota, crasin blandam gelatinoso lym-
phaticam turbat, magis tamen hoc efficit putrida, quae

*Cacoehymia
putrida.*



vim solidorum protinus destruit. Haec mitior est, quando ex alimentis, in primis viis non digestis, sed in cacochymiam ferme rancidam corruptis, oritur, et ad massam humorum defertur. Etsi enim quidquid transgreditur, et postea febrili motu euoluitur, saepe tam subtile et noxium esse reperimus, vt cruditatis tempore in his febribus signa malignitatis se offerant, dummodo tamen primae viae protinus lenioribus euacuantibus corriguntur, et vltior accessus cohibetur, nimii humorum motus alexipharmacis medicamentis non excitantur, blande potius compescuntur, et mutatio excitatae cacochymiae in coctione ita procedit, vt blanda lyfi potissimum mala humorum mixtio resoluetur et secedat. Si vero humores iam in primis viis acrimoniam falsam ammoniacalem, ve' biliosam habent, et ad secundas vias translati, similem acrimoniam iam subtilissimam inueniunt, tunc continuo augetur putrida resolutio, crasin humorum viscido gelatinosam turbat, et ad subtiliores quoque mixtiones progrediendo, debilitatem nervosam subito inducit, ita, vt nulla coctio locum habeat, sed celerrima virium fractio mortem acceleret. In hac subtilitate cacochymiae putridae contagium quoque latet, quod et cum sanis corporibus communicatur, et similem cacochymiam in iis excitat et auget. Obseruauimus quidem in robustis et validis hominibus contagium ortum sudore spontaneo dissipari, tum vero intimam humorum mixtionem nondum ingressum erat. Quod si vero hoc eueniat, tunc vires vitae in aegris subito destruuntur, symptomata malignitatis augentur, et cum vera coctio illius acrimoniae, subtilioris factae, locum non habeat, breui noxia atque letalis sit. Etsi vero omnes aequali ratione inuadit, tamen in imbecillis saepe tardius progreditur, et euacuatione leniori
 eaque



eaque repetita primarum viarum praemissa, analepticis et roborantibus interdum vires coctionis ita sustinentur, vt lenta lyfi materia male mixta dissipetur, nec vires adeo frangat atque imminuat. Sed si de indole cacochymiae huius putridae, in primis et secundis viis euolutae, vel etiam contagio susceptae, differendum est, tunc tanta se offert obscuritas, vt ex mixtione ipsa, quae fluidorum crasin penitus resoluit, et vim solidorum subito infringit, effectum nullo modo explicare, sed eum in symptomatibus tantum perspicere possimus. Cognoscimus nimirum, pulsu celeri et debili, nec non ardore aliquo sicco totius habitus cutanei sanguinem ita resolui, vt, e vena missus, non coeat, sed in diathesin putridam diffuat. Per ea itaque, quae de inflammatione cognita sunt, ad hanc etiam mutationem humorum, viam aliquam nobis muniamus. Gelatinosi et lymphatici praecipue humores, in sanguinem iterum recepti, cum globulis cruoris fluunt, et calore sanguinis, per motum progressiuum et intestinum aucto, coagula inflammatoria, et stases in minimis vasis, cellulas ambientibus, efficiunt, et hinc densatio sanguinis oritur. Quando autem, vt in ceruo, venatu continuo et vehementi exagitato, videmus, causae caloris intenduntur, tunc sanguis iterum in putredinem abit, ita, vt humores putridi, ad minimas fibras propulsi, solida simul destruant. Quod si igitur aliae causae morbosae mixtionem particularum, inprimis salino oleosarum, vehementer, sed sine praegresso coagulo inflammatorio, resoluunt, tunc, motu intestino solo incitato, crasis gelatinoso lymphatica sanguinis ita resoluitur, vt solidorum vis prorsus infringatur. Ita subinde nasci potest cacochymia putrida, sed illa etiam, contagio accedente, mox ad humores transit, et optimam crasin sanguinis subito et vehementer re-

D 3

soluit,



solvit, ut omnia signa putredinis in corpore vivo
appareant.

§. XVI.

*in exanthematis
matibus de-
claratur.*

Non solum vero interna signa huius cacochymiae
tristem aegri statum declarant, summa nimirum virium
destructio, ardor cutis insignis, deliria, spasmi vagi, et
varia in vrina, aliisque excretis humoribus conspicua signa,
percipiuntur, sed cacochymia putrida etiam in exanthe-
matibus se exserit. Etsi vero cacochymias specificas ex-
anthematicas singulares, sub finem huius tractationis bre-
vibus attingere mecum constitui, eas tamen, quae in mor-
bis putridis se ostendunt, vt evidentissimas reliquis prae-
mittere placet. Si summa humorum resolutio ad solidi
destructionem vsque progreditur, quo minus illa letalis
fiat, nullo negotio impediri potest. Sed quamquam effe-
ctus cacochymiae putridae subiti et vehementes esse so-
lent, quod historia pestis satis declarat, saepe tamen, au-
ctis morbi viribus destruentibus, virium vitae quaedam in-
dicia, suppressa, emergunt, quae materiam morbi in
habitum cutaneum propellant. Anthraces et carbunculi
pessimam cacochymiam in peste non arcent, nisi excin-
dantur, et postea vires aegri residuae in loco affecto ali-
quam suppurationem moueant, putrida potius eorum in-
doles facile ad interiora regreditur. Sic in putridis mor-
bis, maculae rubrae planae, sanguinem in putredinem pro-
cliuem iam ostendunt, his tamen apparentibus, vires, co-
ctionem reliquae morbimateriae efficientes, non desunt, et
si medicus, fomite morbi ex primis viis excusso, antipu-
tridis, cardiacis et roborantibus medicamentis internis cor-
poris motibus succurrit, tunc saepe aeger pristinam vale-
tudinem recuperat, quod, progressiuo et intestino motu re-
cte constitutis, cacochymia subinde per varia colatoria diffi-
patur.



patur. In petechiis et miliaribus longe aliter res se habet, si cacochymia putrida adeo aucta est, vt eius vi omnis solidorum efficacia infringatur, si sub pulsu celeri et debili symptomata malignitatis continuo augentur, et tamen exanthemata se monstrant, quae tum indicium putridae cacochymiae, vltra modum auctae, exhibent, nec vt criticae sustineri possunt. Etsi vero in his maxima est varietas, quae partim ex diuersa morborum indole, partim ex dispositione aegrorum deriuari debet, quae medicum semper monet, vt ad causas epidemicorum morborum singulares, et progressum symptomatum in iis respiciat; tamen hanc putridam cacochymiam, vel sanguinis mixtioni inhaerere vel lympham ipsam inficere intelliget. Maculae petechiales, quae planae sunt, si rubro colore conspiciuntur, crasin critioris non prorsus resolutam esse ostendunt; si vero in plumbeum cinereum et nigrum vergunt, tunc gangraenosae dici possunt, et humorum mixtiones prorsus turbatas esse declarant, vnde etiam, siue subsistant, siue recedant, certa semper mors subsequitur. Similis certe erat indoles humorum in purpura, ceu rubris maculis malignis a COYTTARI^{g)} et NEVKRANZ^{h)} descriptis, sed purpura vesicularis, seu miliaris, vesiculas, tenui pellucida vel sublaetea lympham repletas, conspiciendas praebet, huius liquoris summe subtilis et nutrientis corruptionem intimam indicat. Haec, si vel lente crescens in sporadicis morbis saepius, ex neglecta medendi ratione, oritur, vel ex contagio, in morbis epidemicis illato, excitatur, et multos ex populo afficit, cacochymiae, in putredinem transeuntis, manifestum est indicium. Quamquam enim ab aliis signis

g) IOH. COYTTARI Thaerei Alnisiensis de febre purpura epidemiali et contagiosa Libri duo. Parisiis 1578. 4to.

h) PAULI NEVKRANZII de purpura Liber singularis. Lubecae 1648. 4to.



ad aliam cacochymiam respiciendum esse videtur, effectus tamen in omnibus, ob putridam resolutionem humorum, letalis est.

§. XVII.

*Cacochymiae
exanthemati-
cae vagae.*

Disquisitio exanthematum, ex cacochymia putrida pendentium, nos ad alia, et mitiora quidem cacochymiae exanthematicae genera, consideranda ducit, quae, etsi benignioris indolis sunt, interdum tamen, a dyscrasia alia in corpore praesente, ad putridam et gangraenosam accedunt. Infantes tenelli primis saepe mensibus purpuraceis pustulis in vniuersa cute, vel in quibusdam modo locis, maxime sudantibus, afficiuntur; sed acris victus cum lacte, reliquiae non expurgati moeconii, et inuolutio nimia in fascias, et puluinaria, plumis referta, causae sunt sudoris aucti, et acrimoniam ad cutim ducentis. Paulo post etiam in primo vitae anno, saepe ad nares, labia et aures, interdum in vniuersa facie eiusmodi excoriationes oriuntur, quae crustam lacteam, cum affluxu acris feri sistunt. In puerili aetate, ab acrimonia simili collecta, et ad secundas vias diffusa ibique aucta, tinea oritur, quae ex glandulis lymphaticis, ad collum praecipue tumidis, enata, exulcerationes in parte capitis capillata, et in ipsis radicibus pilorum, efficit. Tum etiam, cum adollescentes motu, et exercitatione corporis hanc acrimoniam dissipant et bene nutriuntur, pustulis tamen vagis in pectore, dorso et facie ortis, residuas eius particulas produnt. Haec acrimonia in serosis humoribus haeret, raro ad adiposa vasa transfertur, et medicamentis non ita, vt accurata diaeta, corrigitur. Adultior aetas has acrimonias, cum incremento corporis coniunctas, dissipat; causis vero remanentibus, excretiones similes porro efflorescunt, et non solum in facie, sed etiam in vniuerso corpore conspiciuntur. Purpura
sic



sic dicta scorbutica iis tamen potissimum molesta est, cum corpus nimio calore fouent, et simul propter alia commissa vitia, in victu praecipue, materiam praebent. Morbus inde oritur habitualis, et, desquamatis pustulis, aliae succedunt, pruritu continuo molestae. Vidi interdum, hanc acrimoniam in aliqua parte contextus cellulosi subcutanei contrahi, et abscessus superficiales excitare, ex quibus pus ichorosum educitur: alii quoque crebrius recurrentibus furunculis vexantur. Sunt et aliae maculae planae, flavae, irregulares, in brunum, et saepe subnigrum colorem vergentes, quae summae cuti inhaerent, et sine noxa iterum euanescent. In iis, quibus copiosa est acrimonia, subcoeruleae sunt, et interdum inflammationem, interdum fugillationes mentiuntur. In senibus macilentis saepe prorsus nigrae, late patentis, inveni, quae tamen, cum sine incommodo essent, sensim iterum flavae redditae euanescunt, pristino colore cuti restituto. Inprimis etiam acrimonia in senibus adeo augetur, vt, pustulis cutaneis prorsus nullis excretis, pruritus continuus oriatur, balneis interdum coercendus.

§. XVIII.

Si crasis sanguinis acrimonia, per vrinam et perspirationem non blande dissipanda, turbatur, inprimis si perspiratio in sudoribus aucta, iterum iterumque reprimatur, febres, quas catarrhales dicimus, oriuntur, quae saepius blando sudore curantur; Si vero aliqua cacochymia in sanguine haeret, quae simul excitatur, erysipelaceae excretiones passim in corpore oriuntur. Maxime quidem ratione loci, quem occupant, et ratione grauitatis, eruptionis rubrae, planae, pustulosae vel vlcerosae est differen-

*Cacochymia
exanthemati-
ca erysipela-
cea.*

E

tia,



tia, prout humores corporis plus minusque sero acri abundant. Faciem saepe foedam, totumque caput tumidum reddunt hae excretiones, interdum pectus, tractu singulari, in zona sic dicta cingunt, interdum autem ad alias quoque corporis partes extenduntur. Color roseus in summa cute apparet, et initia inflammationis sistit, blanda tamen perspiratione, regimine idoneo excitata, acre illud dissipatur, et, cuticula desquamata, nitor cutis redit. De vago autem hoc erysipelatis genere notum est, quod in serosa humorum corruptione habituale fiat, et ad alia vitia cutanea ducat. Omnia exanthemata, quae rubore, pustulis, maculis cutaneis et insigni pruritu se produnt, semper febre mouentur, quales sunt scarlatina, vrticata, et aliae, quae in vniuersum erysipelaceae dicuntur. Est certe acrimonia subtilis, breui in humoribus nata, perspiratione blanda non facile dissipanda, quoniam vel febre nimis mota celerius, vel viscido inclusa difficulter circumducitur, ideoque in vasis summae cutis haeret, antequam dispellatur. In his tanta varietas est, vt magnitudo et ambitus macularum, color ruber vel profundior vel roseus, pustulae vel rubori adspersae, vel solae discretae copiosiores non satis definiri possint, imprimis cum praeter nomina, medicis vsitata, in variis Europae prouinciis, earumque vernacula lingua, tot diuersis denominationibus insigniantur, quae, ex notionibus vulgi enatae, accurate discerni nequeunt. Omnia tamen haec exanthemata, quae in cutis summitate efflorescunt, dummodo vis vitae bona est, breui dissipantur, ideoque ad morbos benigniores reduci possunt. Si vero medicamentis nimis calidis, et regimine simili humorum motus excitantur, si corpori, blande et ad initia sudoris perspiranti, crebriora refrigeria admit.



admittuntur, si alii diaetae errores ab aegro committuntur, si aeger ad aliam cacochymiam grauiorem procliuus est, ita saepe exacerbantur, vt post acrimoniam, subinde euolutam, maligni et letales morbi oriantur. Etsi enim hae excretiones cutaneae adeo volatiles sunt, vt prodeant, et iterum recedant, interdum in aere libero dissipentur, calore lectuli eliciantur, vel incalescente corpore efflorescentes, aere libero admissio, recedant, in se tamen certos mixtionis modos non offerunt, sed ex sola aegri constitutione diiudicari debent.

§. XIX.

Nunc, cum ad finem tractationis progredior, insignis adhuc numerus cacochymiarum specificarum se mihi offert, quarum aliae acutae, aliae chronicae dici possunt. Ex acutis quidem roseolae, morbilli, variolae potissimum oriuntur, quae forte ex doctrina superioris paragraphi, in vniuersum proposita, diiudicari possunt; ex chronicis vero scabies, scorbutus, lues venerea, arthritis prae reliquis explicationem aliquam merentur. Has si ex mea obseruatione, vel, cum haec exigua sit, ex ea, quam multi et praestantissimi medici de iis instituerunt, describere, causas, symptomata et signa inter se conferre vellem, non dissertationem nouam, amplissimum potius volumen conscribere inciperem: Sed hic in eam fortasse obscuritatem conuicerer, quam Cl. MOOR a morbis cerebri accurate considerandis retinuisse videmus. i) Duplex autem in hanc rem inquirentibus se of-

*Cacochymiae
specificae
chronicae et
acutae.*


E 2

fert

i) vid. BARTHOLOMAEI MOOR pathologia cerebri cap. VII. p. 138.



fert difficultas, quarum vna ex caussarum primarum obscuritate, et vera ignorantia oritur; altera autem ex varietate progressus morbi, varia ratione ab Auctoribus descripti. Veteres enim non solum descriptiones dederunt, ex quibus diuinando aliquam similitudinem, cum his nostris morbis, magis extorquemus, quam vere ostendimus; sed per secula etiam, ad nostrum vsque procedentia, immo in variis orbis terrarum prouinciis tantum progressus varietatem cognouimus, vt morbi, sibi non semper constantes visi, et noui potius oborirentur. Huius mutationis variae quidem caussae vniuersales sunt; climatum diuersitas, vitae generis et praecipue victus ratio, prouinciarum quarundam peculiaris constitutio; particulares vero idiosyncrasia singulorum aegrorum, et saepe minus idonea, et aegris parum accommodata, medendi ratio. Cum etiam hae cacochymiae specificae singulares non solum exanthematibus, maculis, pustulis, vlceribusque, in cute efflorescentibus, insigniantur, sed ad internas quoque partes, et ad medullium ossium quoque penetrent, signa saepe obscura se offerunt, inprimis vero exanthemata cutanea adeo diuersa sunt, vt verbis satis claris atque idoneis vix exprimi possint. Et si tandem signa ex symptomatibus collectis in ordinem aliquem redigerentur, diuersa tamen denominandi ratio nos confunderet. Genera enim, species et varietates morborum bene ordinare et discernere, insignis labor esset, nec vnquam ita perficiendus, vt votis nostris plane satisfaceret. Prouoco hic ad industrium laborem, a Cl. SAVAGES in nosologia methodica praestitum, quem, si quis, in lectione veterum et recentiorum Medicorum versatus, sub examen vocaret, multis modis mutare et augere posset,



posset, neque tamen, continuato hoc studio, obscuram hanc cacochymiarum rationem plane illustraret. Medicus itaque in medela horum morborum suscipienda progressum eorum in vniuersum consideret, vires vitae, morbo oppositas in febrilibus motibus, diiudicet: ad varias cacochymias, in hac tractatione descriptas, attendat, medicamenta aliaque auxilia, obseruationibus praestantissimorum medicorum accommodet, diaetae, potissimum in victu et reliquo regimine, rationem habeat, et ita curam morborum singularium recte instituat atque dirigat.



